PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE DOCTRINARVM

CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCX.
AD PRIDIE KAL. IVLII ANNI MDCCCXI.

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

VILNAE,
TYPIS IOSEPHI ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM.

STEPHANVS STVBIELEWICZ, Phil. D. Physices Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX. ad XI*mae* dimidium, cursum Physicae universae explicaturus, praemissa scientiae huius definitione et in partes, quae totius Physicae proprie dictae ambitum absolvunt, divisione, perget ad generales corporum proprietates breviter enarrandas; quam expositionem excipient reliqua doctrinae capita, suo ordine per singulos tractatus accuratius tradenda, experimentisque, calculo et ratiocinatione illustranda.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. et Medic. D. Collegior. a Consil. Chemiae Prof. P. O. principia Chemiae universae ad Elementa a se edita et nuper recognita novisque aucta observationibus, in Laboratorio Chemico exponet, experimentisque illustrabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Ven. ab horae XI*mae* dimidio ad XII.

B. STANISLAUS JUNDZIŁŁ, Phil. et Theol. D. Botanices et Zoologiae Prof. P. O. primo tradet Zoologiam universam. Expositis nempe generatim de natura animalium notionibus, institutaque solita divisione in classes et ordines, iuxta recentissimas observationes, genera omnia et species singulatim lustrabit, earumque patriam, mores, usus etc. indicabit. Peracto cursu hoc ad Botanicam transibit, ac, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1) ad Elementa a se edita exponet Physiologiam vegetabilium; 2) Terminologiam botanicam universalem; 3) instituet criticam variorum systematum analysin, methodum Linneanam prae ceteris scrutaturus; 4) denique ad plantarum, iuxta methodum sexualem, indicationem practicam perget, cum Horti Botanici copiis instructus, tum excursiones, quas dicunt, Botanicas cum auditoribus suis facturus; diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab hora II. ad IV*tae* dimidium.

MICHAEL SZULC, Phil. D. Architecturae civilis et militaris Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Merc. et Iov. ab horae VIII*vae* matut. dimidio ad IX. Architecturam civilem et militarem docebit.

THOMAS ZYCKI, Phil. D. Matheseos Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Merc. et Ven. ab h. VIIIvae matut. dimidio ad IX. exponet primo Algebram sublimiorem seu transcendentem, qua Aequationes altiorum graduum, series infinitae, Fractiones continuae, Logarithmi etc. continentur. Tum applicationem Algebrae ad lineas curvas tradet, non solum secundi ordinis, sectionum Conicarum nomine insignitas, sed etiam diversas alias lineas transcendentes cum proprietatibus suis explicaturus.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI, Phil. D. Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O. diebus Iov. Ven. et Sat. ab h. VIIIvae matut. dimidio ad IX. Martis autem die ab h. IX ad XImae dimidium tradet Calculum differentialem et integralem, eiusque latissimum usum in variis Matheseos partibus demonstrabit, duce Lacroix.

CAESARIUS KAMIENSKI, Phil. D. Universitatis Adiunctus diebus Lunae et Mercurii ab h. XImae dimidio ad XI et dimidium, Veneris autem die ab hora IX ad X. Trigonometriae Sphaericae expositis principiis ac formulis, ordietur cursum Astronomiae, in quo 1) duce Joanne Sniadecki, notionem Sphaerae caelestis eiusque circulorum ex phaenomenis motus diurni et annui telluris depromptam, usum Trigonometriae sphaericae in calculandis positionibus astrorum, observandi artem, instrumentorumque Astronomicorum constructionem; denique refractionis, parallaxeos et aberrationis phaenomena explicabit. 2) Systema Mundi, theoriam Planetarum primariorum et secundariorum exponet. 3) doctrinam Eclipsium Solis, Lunae, aliorumque Satellitum, nec non occultationis Astrorum per Lunam, earumque calculum tractabit.

ROMANUS SYMONOWICZ, Phil. et Medic. D. Vnivers. Adiunctus, Solis die hora II. ad IV. pomerid. diebus autem Merc. et Sat. ab horae IIItiae dimidio ad IV. pom. lectiones Mineralogicas instituet.

Diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XImae dimidio ad XII Topographia tradetur, methodusque delineandarum positionum geometricarum ad usus civiles, oeconomicos et militares accommodata exponetur a Magistro ad hoc munus designato.

II.

PRAELECTIONES MEDICORUM.

IOANNES ANDREAS LOBENWEIN, Medic. et Chir. D. Collegior. a Consil. Ordinis Medicorum Decanus, Anatomiae hum. et Medicinae forensis Prof. P. O. diebus Martis et Veneris, ab hora IX matut. ad XImae dimidium, diebus autem Mercurii et Saturni ab h. XImae dimi-

dio ad XII, demonstrationum anatomicarum ope indicabit situm, structuram, nexum et usum singularum corporis humani partium; diebus porro Merc. et Sat. h. III — IV pomerid., illa tradet praecepta et regulas, quibus in diiudicandis dirimendisque quaestionibus, in re medica a foro proponi solitis, tenetur medicus.

AUGUSTUS BECU, Phil. et Med. D. a Consil. aul. Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Iov. et Sat. ab hora IX usque ad XI$_{mae}$ dimidium exponet cursum Pathologiae generalis et specialis, sua Elementa secuturus. Quo non interrupto, mensibus aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissa Anatomia et Physiologia populari, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae Medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

FERDINANDUS SPITZNAGEL, Med. et Chirurg. D. Therapiae generalis, Materiae Medicae et Toxicologiae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab h. XI$_{mae}$ matut. dimidio usque ad XII. primo Therapiam generalem ita docebit, ut Materia Medica generalis ordine scientifico illam subsequi possit. Cui generales formularum medicarum conscribendarum regulas singulari tractatu subiiciet. His absolutis, materiam medicam tradet specialem, enumeraturus et diiudicaturus pharmaca singula, tam simplicia, cruda, ex omnibus naturae regnis selecta, quam praeparata; tum composita, quae in potioribus Europae Dispensatoriis prostant; maxime vero ea fusius illustrabit quae in Rossia sunt quasi indigenae, aut quae saltem in Pharmacopoeis Rossicis legum praescripto asservantur. Auditores autem in formulis medicis conscribendis sedulo exercebit. In Toxicologia venenorum cognitionem, noxam, curam, eorumque, quae remedii nomen obtinuerunt, usum necessarium demonstrabit.

IOSEPHUS FRANK, Phil. et Med. D. Ordinis S. Wladimiri IV. Cl. Eques, Therapiae specialis et Clinices Prof. P. O. quotidie ab h. IX$_{nae}$ dimidio ad X$_{mae}$ dimidium in Nosocomio Clinico doctrinam medicam curandis morbis adaptabit; quinquies autem per hebdomadam, diebus nempe Lun. Mart. Iov. Ven. et Sat. ab h. X$_{mae}$ dimidio ad XI$_{mae}$ dimidium, tradet ad Elementa sua Praxeos medicae eam Therapiae specialis partem, quae ad febres, morbos cutis, sensuum, systematis nervosi, cordis, vasorumque sanguinis circulationi inservientium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus, in Nosocomio hora

V — VI vespert. observandis. Praeterea diebus Solis et Mercurii, horis matutinis, aegrotantibus urbis huius egenis, coram discipulis, consilia et medicamenta, quorum pretium ex Societatis Beneficentiae arca solvitur, suppeditabit.

IACOBUS BRIOTET, Med. et Chir. D. Collegior. a Consil. Chirurgiae practicae Prof. P. O diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab h. III usque ad IV et dimidium tractabit de morbis externis, in quibus persanandis dextra Chirurgi manus requiritur. Quocirca operationes chirurgicas in cadaveribus sub tironum oculis demonstrabit. Provectiorum autem in arte chirurgica operationes ipse moderabitur in Clinico Chirurgico, cuius curam habebit quotidie ab h. VIIIae matutinae dimidio usque ad IXnae dimidium et ab h. VI usque ad VII vespert.

ANDREAS MATUSEWICZ, Phil. et Med. D. Artis Obstetriciae Prof. P. O. eiusdem Artis cursum theoretico-practicum peraget, diebus Mart. et Ven. ab h. IX usque ad X et dimidium coram feminis obstetricibus; diebus Merc. autem et Sat. ab h. VIIIvae dimidio usque ad IX coram viris.

LUDOVICUS HENRICUS BOIANUS, Med. et Chir. D. Veterinariae Medicinae Prof. P. O. singulis hebdomadis diebus, Solis excepto, ab h. IIdae dimidio usque ad III pomerid. praelectiones instituet in universam Artem Veterinariam, annuo cursu absolvendas.

IOANNES FRIDERICUS NISZKOWSKI, Med. et Chir. D. Chirurgiae theoreticae Prof. P. Extraord. diebus Mart. Iov. et Ven. ab h. Vtae dimidio ad VI. pom. cursum Chirurgiae theoreticae et doctrinam de morbis ossium, a causis tam externis quam internis oriundis, exponet, in fracturisque et luxationibus sanandis fascias et machinas usitatissimas demonstrabit, tironum manus in illarum applicatione exercitaturus.

IOANNES WOLFGANG, Phil. D. Univers. Adiunctus, cursum Pharmocologiae et Pharmaciae instituet diebus Merc. et Sat. ab h. II. pom. ad III. et dimidium.

GABRIEL HOLTZ, Anatomiae hum. Prosector repetitiones anatomicas instituet diebus Lun. Mart. et Iovis post meridiem ab h. IIItiae dimidio ad III. et dimidium; diebus autem Mart. Merc. Iov. et Sat. ab h. IV usque ad VI. vespert. studiosorum operam in dissectionum anatomicarum exercitiis moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM DOCTRINARUM MORALIUM ET POLITICARUM.

SIMON MALEWSKI, Phil. et Iur. Civ. D. Collegiorum a Consil. Ordinis huius Decanus, Iuris Naturae et Gentium Prof. P. O. diebus Mart. Iov. Sat. ab h. VIII*vae* matutinae dimidio ad IX., Merc. autem ac Ven. h. VIII — IX docebit Ius naturae, Ius naturale politicum et Ius naturale gentium, duce Hieron. Stroynowskii libro, cui celebriorum auctorum placita subiunget.

IOANNES HENRICUS ABICHT, Phil. D. Logices ac Metaphysices Prof. P. O. sexies per hebdomadem ab horae IV*tae* dimidio usque ad V. exponet 1) Psychologiae partem primam, animae vires earumque leges ostendentem. Qua explicata, iisdem horis quater per hebdomadem tradet 2) Criticam mentis, in qua agitur de limitibus, quibus mens humana in rebus per se ac vere cognoscendis circumscripta est; et 3) Metaphysicam sive doctrinam de Ente, mundi elemento, de Mundo, de Animae humanae aeternis, ideoque etiam de Immortalitate et de Deo. Bis autem qualibet hebdomade eodemque tempore docebit 1) Anthropologiam psychicam, status animae, eorumque origines, nexus et signa demonstrantem. 2) Philosophiam practicam universalem quae naturam hominis moralem, ideoque fines bonorum ac malorum, animi et arbitrii libertatem, principia officii ac debiti, justitiae, imputationis, virtutis, sapientiae et prudentiae, meriti et culpae, praemii poenaeque, considerat. Vtramque hanc disciplinam, tanquam Introductionem in Ethicam, tradet.

ALOYSIUS CAPPELLI, Phil. et I. V. D. Iuris civilis et poenalis Veterum ac Recentiorum celebriorum Gentium Prof. P. O. diebus Lun. Mart. et Merc. h. XI — XII expositis Iurisprudentiae Romanae origine et vicissitudinibus, Pandectarum explanationem aggredietur, easque ex Antiquitatis Romanae disciplina illustrabit. Diebus autem Ven. ac Sat. ab h. XI*mae* dimidio usque ad XII., postremam Iuris Poenalis partem explicaturus, de Iudiciis publicis aget.

PHILIPPUS NERIUS GOLANSKI, Theol. D. S. Scripturae Prof. P. O. diebus Mar. Merc. et Iov. ab horae XI*mae* dimidio ad XII reliquas D. Pauli et ceterorum Apostolorum epistolas, quas anno elapso nondum enarraverat, per-

sequetur. His absolutis, B. Ioannis Apocalypsin, recensitis veterum PP. et recentiorum interpretationibus, iuxta S. Hieronymi, maxime vero S. Augustini mentem, enarrabit. Denique, si per tempus licuerit, ad Veteris Foederis libros accedens, intimum eorum cum Novi Foederis illis nexum, ex libris Moysis, Propheticis Psalmisque demonstrabit.

AUGUSTINUS TOMASZEWSKI, Phil. et Theol. D. Theologiae Dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae Prof. P. O. diebus Lun. et Merc. ab h. IX usque ad X. et dimidium tractatus de Deo et de SS. Trinitate duce Gazzaniga; diebus autem Ven. et Sat. iisdem horis historiam ecclesiasticam medii aevi, Natali ab Alexandro duce, exponet.

IOANNES CANTIUS CHODANI, Theol. D. Theologiae Moralis Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Ven. et Sat. ab h. VIIIvae dimidio usque ad IX. prioribus quinque annui cursus mensibus e morum doctrina christiana enarrabit hominis officia ad alios homines relata, ubique simul contraria illis vitia perstricturus, praeceptaque et consilia ad haec vitanda idonea inculcaturus. Insequentibus autem quinque mensibus, praemissa doctrina de Theologiae pastoralis indole, fontibus, necessitate atque historia, de munere docendi virtutem ac religionem generatim amplius disseret; dein viam ac rationem populum sacris operantem publice instruendi per catecheses, sermones sacros ac homilias, non modo theoriae ac regularum ope, sed etiam ipso usu et praxi docebit. Denique prudentiae pastoralis praecepta circa instructionem privatam, ad status diversos resque circumstantes fidelium accommodatam, tradet.

IOANNES ZNOSKO, Phil. D. a Consil. aul. et Universitatis a Litteris, diebus Mart. et Ven. ab h. IX ad X et dimidium praelectiones in Oeconomiam politicam instituet, theoriam Adami Smith potissimum secuturus, habita tamen ratione recentiorum eius commentatorum, nec minus aliorum in hac scientia systematum.

SEBASTIANUS ZUKOWSKI, Theol. M. Universitatis Adiunctus, Seminarii Theologici alumnis linguae Hebraicae praecepta, ad elementa sermone vernaculo a se conscripta et typis exarata, tradet, hisque Introductionem generalem et specialem in libros sacros Vet. Foederis, duce Iahnio, prof. Vindob., subiunget, diebus horisque designandis.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM LITTERATURAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK, Phil. D. Ordinis huius Decanus, Linguae et Litterarum Graecarum ac Romanarum Prof. P. O. quater per hebdom. h. XI — XII. Homeri Iliadis novem libros priores, cum Xenophontis ac Platonis locis selectis ex Iacobsii V. Cl. Chrestomathiae Graecae ea parte quae Socrates inscribitur, enarrabit. Bis autem, Merc. et Sat. diebus, hora eadem, ex Füllebornii Encyclopaedia Philolog., Antiquitatis Graecae et Romanae, Mythologiae et Artis antiquae historiae, sive Archaeologiae praecipua capita exponet. Idem in Scholis Latinis Horatii ad Iul. Florum et Pisones Epistolas, Persii Satiras et Ciceronis de Senectute et de Amicitia libellos explicabit quater per hebdom. hor. I — II pomerid. Historiae porro Romanorum litterariae elementa tradet Merc. et Saturni diebus, hora eadem. Denique Lunae et Vener. diebus, h. V — VI vespert. Philologiae studiosorum exercitationes cum in Euripidis Hecubae et Annalium Taciti aliorumque auctorum interpretatione accurata, tum in scriptionibus et disputationibus latinis moderabitur.

IOANNES IOANNIDES CZERNIAWSKI, Phil. D. Linguae et Litteraturae Rossicae Prof. P. O. diebus Mart. et Iov. ab h. IVtae dimidio ad V., Lun. autem, Merc. et Ven. h. IV — V. primo disseret de litterarum, artium et doctrinarum in imperio Rossico origine ac progressu; de Scholarum institutione aliisque rebus quae incrementis studiorum vel profuerunt vel obstiterunt. Tum auctorum Rossicorum qui in quolibet poëseos atque eloquentiae genere inclaruere, pariter atque operum quae condiderunt notitiam dabit. Deinde linguae Rossicae indolem ac praecepta traditurus, scriptorum Rossicorum loca selecta enarrabit. Denique ad versiones ex Rossico sermone in Polonicum, sive ex aliis linguis in Rossicam faciendas, auditoribus cum fragmenta ex Rossorum sive Polonorum historia, maxime quae ad utriusque populi res gestas simul referuntur, tum ex Status Rossici Imperii descriptione capita memoratu digniora proponet.

IOANNES SAUNDERS, Chalcographiae et Artium elegantiorum Litterature Prof. P. O. 1) Artis chalcographicae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis die excepta, ab h. VIII matut. usque ad I pomerid. 2) Lunae et Ven. diebus ab h. V. pom. usque ad VI et dimidium, praemissa vocabulorum in artibus tra-

dendis receptorum explicatione, gallico utens sermone, Artium Liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, primo apud veteres populos, maxime apud Aegyptios, Etruscos, Graecos, Romanos; tum renata earum studia in Italia, et quae mox ibi exstiterunt scholas diversas, porro Artium indolem atque fata in Germania, Gallia, Hispania, Hollandia, Anglia et Rossia persequetur. Postremo singularum artium, ut Sculpturae, Picturae, Chalcographiae, vim ad humanitatis, morum vitaeque cultum declarabit, variosque usus indicabit quos Politicae, rerum Commerciis, Historiae, litterarum studiis omnino illae adferre putandae sint. 3) Martis et Iov. diebus, itidem ab h. V usque ad VIImae dimidium, Anglorum lingua utens, Litteraturae Anglicae cursum incipiet a Goldsmithii libro, The Vicar of Wakefield, et Addisonii Spectatore enarrandis. Hinc perget ad operum historicorum, biographicorum et poëticorum, Dav. Humii, Iohnsonii et Popii, recensum criticum instituendum.

PHILIPPUS NERIUS GOLANSKI, Theol. D. Scripturae et Eloquentiae Sacrae Prof. P. O. diebus Ven. et Saturni hora X — XI. praemissis iis, quae ad eloquentiam in genere eiusque in praedicatione verbi divini convenientiam maxime spectant, id potissimum curabit, ut iuxta gravissimum Apostoli monitum „non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ea futuris sacris oratoribus, ad sacras pro concione orationes habendas, eoque ordine recensenda et explicanda proponat, quae et quo catholica Romana ecclesia in officio divino, tum ex Sacra Scriptura, tum SS. PP. operibus, iam dudum Fidelibus suis, praesertim vero Ecclesiasticis viris proposuerat. Ex tali vel maxime fonte, clarissimorumque Sacrorum Oratorum subsidio, omnis generis instituendas orationes sacras derivabit et hauriet.

ALOYSIUS CAPPELLI, Iurisprudentiae ac Linguae et Litterar. Italicarum Prof. P. O. diebus Martis et Saturni h. V — VI. post praeviam quam praestabit notionem Grammaticae, Italicorum scriptorum elegantias interpretabitur. Iovis autem die, hora eadem, Petrarchae Lyrica et Divinam, quam dicunt, Dantis Comoediam commentabitur, alternatimque auditores in selectioribus poëtarum versibus declamandis exercebit.

ANDREAS LE BRUN, Sculpturae Prof. P. Extraord. artis huius praecepta tradet, exemplisque propositis idoneis studiosorum conamina in effingendis efformandisque artis sculpendi operibus moderabitur, diebus Lun. Merc. et Ven. ab horae XImae dimidio ad XII.

IOANNES RVSTIM, Vniversit. Adiunctus, artem delineandi docebit diebus Mart. Iov. et Sat. ab hora II ad IVtae dimidium.

SEBASTIANUS ZUKOWSKI, Theolog. M. Vnivers. Adiunctus diebus Lunae, Merc. et Ven. h. VIII — IX matut. cum Grammatices Graeci sermonis expositione coniunget interpretationem Chrestomathiae Graecae typis Vilnensibus vulgatae. Praeterea Luciani libellos duos qui inscribuntur: Calumniae non temere credendum, et Alexander seu Pseudomantis, ex editione Cel. Wolfii, interpretabitur.

Linguam Gallicam docebit IOANNES PINABEL, Vnivers. Adiunctus diebus Mart. Iov. et Sat. ab h. IVtae dimidio usque ad V.

Linguae Germanicae praecepta et Anglicae elementa tradet BENIAMIN HAUSTEIN, Univers. Adiunctus diebus Lunae, Merc. et Ven. ab h. IVtae dimidio ad V. et a V-VI.

Artem Musicam theoretice et practice tradet IOANNES DAVID HOLLAND, ad Elementa sua vernaculo sermone vulgata, diebus Mart. Iov. et Sat. h. III — IV pom.

Artes Gymnasticas, cum saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum artium Magistri diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora III-V. GODOFR. ERN. GRODDECK, Bibliothecae Acad. Praefectus, et Custodes Bibliothecae Acad. STANISLAVS BAKOWSKI et SEBASTIAN ZVKOWSKI Vnivers. Adiuncti.

Bibliothecae Acad. Praefectus, et Custodes Bibliothecae Acad. STANISLAVS BAKOWSKI et SEBASTIAN ZVKOWSKI Vnivers. Adiuncti.